

libera, quia ad illam efficiendam non concurrunt etiam physice, ut supponitur, sed mere passive se habet recipiendo illam: in pura autem receptione passiva non est usus libertatis, ut sumitur ex Concilio Trident., sess. 6, c. 5, et can. 4. Neque etiam est illa infusio libera antecedenter, seu per denominationem ab aliqua prævia dispositione libera, propter quam illa qualitas infundatur, quia oportebit illam dispositionem esse supernaturalem, et consequenter a gratia excitante et adjuvante fieri, et tum redibit quæstio quodnam sit principium adjuvans ad illam dispositionem. Igitur necessario sistendum est in gratia prima adjuvante per modum principii physici, quæ non magis detur homini propter præviam dispositionem ejus, quam detur prima gratia excitans propter similem dispositionem; sicut enim prima excitatio non est libera homini ullo modo, ita neque prima infusio illius qualitatis quæ dicitur esse gratia adjuvans per modum principii physici. Ex quo sequuntur duo incommoda, unum est, illum cui non infunditur illa qualitas simpliciter, non habere auxilium sufficiens, quia sine illa non potest elicere actum, nec est in potestate libera ejus habere talem qualitatem, cum nihil possit libere agere, quo illam obtineat. Aliud inconveniens est, quia ille cui datur talis qualitas non libere operabitur, nam si illa qualitas determinat quoad exercitium actus voluntatem cui infunditur, ita infallibiliter ex intrinseca sua natura, ut non posset voluntas ei resistere, et actum cohibere, non apparet quomodo actus ille liber quoad exercitium prodeat; quas rationes hic amplius non prosequor, quia necessario sunt in sequentibus sæpius repetendæ, præcipue tractando de auxilio et concursu efficaci.

19. *Neque etiamsi illa connexio sit ex præscientia Dei.* — Si autem aliud membrum eligatur, nimirum, illam infallibilem connexionem inter qualitatem illam et consensum voluntatis non esse ex natura intrinseca talis qualitatis, sed ex præscientia, quia scilicet prævidens Deus voluntatem sic excitatam consensuram, si adjuvetur, infundit illi talem qualitatem, ut per eam sicut oportet operetur; quando autem prævidet non consensuram, etiamsi ei infundatur talis qualitas, tunc illam non infundit, non quia de se sine actu esse non posset, nec quia semel infusa non subiaceat quoad usum liberæ potestati voluntatis, sed quia in tali homine esset otiosa et inutilis; si hoc, inquam, dicatur, jam eligitur alterum membrum partitionis in primo dilem-

mate positæ, simulque illo modo facile salvatur libertas; tamen explicatio non est juxta sensum et principia auctorum contrariæ sententiæ, qui illam præscientiam non admittunt, ut videbimus. Et præterea non evacuat primam difficultatem tactam, quia si qualitas illa ex natura sua infundi potest potentiæ non operanti, nec ex vi illius statim operaturæ, de se non est qualitas pendens ab actuali operatione, neque requirens illam, ut in potentia sit et permaneat; ergo de se est qualitas habitualis, et verus habitus, et consequenter ejusdem speciei cum virtute infusa ad quam pertinet talis actus, immeritoque appellatur quasi transiens, cum non sit hæc ejus natura, quidquid sit de voluntaria infusione vel conservatione Dei cum tali præscientia, et non sine illa. Nam etiam habitum ipsum potest Deus non infundere adulto nisi præsciat illum statim in eodem momento operaturum cum illo, sicut verisimile est fuisse infusum Angelo, vel primo homini in sua creatione. Et declaratur amplius, nam si illa qualitas ex natura sua infundi potest voluntati non statim operanti, etiamsi de facto solum infundatur ei quæ præscitur operatura, nihilominus postquam fuerit semel infusa permanebit in potentia, quantum est ex natura sua, etiamsi potentia ab operatione cesset, quia non potest magis pendere ab operatione in conservari quam in fieri; ergo considerata illius natura, nihil habet in quo ab habitu differat.

20. *Dices: est habitus, ad illum tantum actum infusus, et qui eo elicit adimitur.* — Sed aliquis fortasse, argumento coactus, fatebitur qualitatem illam nihil aliud esse quam ipsum habitum, vocari autem transeuntem solum extrinsece, quia tunc non infunditur a Deo ut permaneat, sed solum ad illum actum, et quamdiu ille duraverit. Sic enim divus Thomas 2. 2, quæst. 173, art. 3, ad 2, sentit lumen gloriæ infusum Paulo in raptu, in specie et entitate fuisse idem quod est in Beatis, datum tamen esse per modum transeuntis, quia solum ad breve tempus datum est.

21. *Rejicitur hæc solutio.* — Verumtamen hoc imprimis est contra hypothesim quam in dispositione supponimus, nimirum, sermonem esse de actibus qui ab habitibus non eliciuntur; deinde frivolum et incredibile videtur dicere peccatori, quoties, prius tempore quam justificetur, elicit actum supernaturalem temperantiæ aut fortitudinis, vel penitentiæ imperfectæ, qua se remote disponit ad remissionem peccati, infundi habitus talium virtutum, et auferri statim ac cessat operari. Et

præterea in contritione, seu ultima ad gratiam dispositione, non habet locum illa responsio, quia tunc actus permanenter infunditur; ergo necessarium erit illam dispositionem elici ab ipso habitu ad quem ipsa disponit, et ratione cujus ipsa infunditur, quod repugnare, tractando de justificatione, probabimus. Nunc autem tanquam certum supponimus actum propter quem eliciendum datur auxilium gratiæ proxime adjuvantis, non posse esse rationem et causam propter quam tale auxilium datur, alioqui esset talis ratio vel causa, non ut factus per vires gratiæ, sed ut factus per solum liberum arbitrium, quod nemo dicet, qui Semipelagianum errorem omnino voluerit evitare.

22. *Aliæ confirmationes.* — Denique possunt ad hanc rationem confirmandam adduci omnia quibus supra probavimus, ad eliciendos actus supernaturales gratiæ excitantis, non esse necessariam, nec præcedere infusionem alicujus qualitatis, vel motionem quæ non sit actus vitalis. Nam est eadem vel major ratio, quia tam motus gratiæ excitantis quam actus proprii gratiæ adjuvantis supernaturales sunt, et effective a nobis fiunt, solumque differunt vel in majori vel in minori perfectione, quod parum refert ad necessitatem supernaturalis principii, vel in hoc quod illi sunt necessari, isti autem liberi, et ex hoc capite magis videtur repugnare impressio illius qualitatis actibus liberis, quam necessariis, ut explicatum est. Quod vero ad auctoritatem pertinet, talis qualitas prævia ad hos actus non majus habet fundamentum in Scriptura, Conciliis, vel Augustino, respectu illorum, quam respectu motuum gratiæ excitantis; nullam enim præviam gratiam in illis invenimus, præter inspirationes, illuminationes, et alias similes, quæ in actibus vitalibus consistunt, quod amplius ex solutione argumentorum constabit, quam commodius capite sequenti trademus.

## CAPUT XIX.

SOLUM SPIRITUM SANCTUM IMMEDIATE ADJUVARE VOLUNTATEM UT PRINCIPALE PRINCIPIMUM PROXIME ET PHYSICE FACIENS SUPERNATURALEM ACTUM, QUANDO SINE HABITU ELICITUR.

1. *Probatum assertio, primo, ex superioribus capitibus.* — *Secundo, auctoritate Mendosæ.* — Hæc assertio sufficienti partium enumeratione ex discursu præcedentium capitum necessario concluditur. Nam ostensum est aliquod principium efficiens cum voluntate ta-

lem actum, et supplens defectum virium ejus, necessarium esse. Deinde probatum est hoc principium non esse motionem, vel qualitatem creatam quæ præcedat per modum actus vitalis et excitantis gratiæ, vel per modum actus primi a solo Deo infusi, et passive tantum in voluntate recepti; ergo necessarium est ut tale principium sit increatum; est ergo Deus ipse, seu Spiritus Sanctus. Atque ita videntur sentire de ultima dispositione ad gratiam multi ex auctoribus, qui negant illam effective procedere ab habitibus infusis, præsertim Mendosa in dicto quodlib. 2 ad finem, et Vega, lib. 6 in Trident., cap. 28, ubi non requirit aliam gratiam prævenientem creatam ad talem dispositionem præter excitantem, et ita exponit Scotum. Eadem autem ratio, vel certe major, in cæteris actibus supernaturalibus, qui tempore antecedunt habitus, locum habet.

2. *Hic modus agendi possibilis est.* — Possumus autem ulterius assertionem nostram confirmare, duo demonstrando. Unum est, hunc modum divini adjutorii esse possibilem, id est, non repugnare de potentia absoluta. Aliud est, etiam secundum legem ordinariam esse sufficientem, et modo loquendi Scripturarum et Patrum, et convenienti ordini divinæ providentiæ consentaneum. Priorem partem probavi de visione beatifica in particulari in 1 part., tract. 1, lib. 2, cap. 1, ubi dixi posse fieri ab intellectu creato, solo Deo cooperante, et specialiter influente cum illo, quam sententiam tenet etiam Fr. Joan. Vincent., de gratia Christi, quæst. 6, post quartam conclusionem; Vasquez, 1 part., disput. 46, cap. 2; Molina, 1 part., quæst. 12, art. 3, disputat. 2, qui plures auctores pro illa sententia referunt in 4, distinct. 49. Nemo autem negavit eandem esse vel majorem rationem de actibus viæ. Ratio autem communis omnibus est, quia nulla ratio repugnantiae vel implicationis contradictionis in hoc modo efficientiæ ostendi potest. Nam si qua cogitari valet, maxime erit quia vitalis actus, ut talis est, non potest fieri sine principio intrinseco et inhærente ipsi operanti, cujus contrarium ex illo efficientiæ modo sequi videtur. At hæc ratio nullius momenti est, et potest efficaciter in contrarium retorqueri, quia etiamsi solus Deus ad illum actum cum voluntate operetur, semper actus ille est ab intrinseco principio vitæ, nempe a voluntate cooperante cum Deo, et ex habitu ad illam denominatur vitalis, non ex habitu ad Deum; ergo non habet locum illa repugnantia.



3. *Neque obest vitalitas actus.* — Unde argumentor aliter, ut res magis explicetur (namvis rationis eadem fere est), quia quando voluntas amat Deum ex habitu charitatis, non influit in actum per solam charitatem, sed etiam per seipsam, et licet idem indivisibilis influxus sit ab habitu et a potentia, tamen formaliter et per se non habet quod sit vitalis ex habitudine ad habitum, sed ad potentiam, quia illa sola est proximum intrinsecum principium vitæ. At vero quando dicimus Deum cum potentia sola eundem amorem operari, Deus non supplet, neque tollit, aut impedit influxum potentiæ, sine quo actus non potest esse vitalis, sed tantum supplet efficientiam habitus, quæ per se vitalis non est; ergo facillime et sine ulla repugnantia potest Deus id facere, habet enim in eo locum vulgare axioma, quod quicquid potest Deus facere per causas secundas, potest facere se solo.

4. *Quod ex ipsis adversariis probatur.* — Nec potuerunt auctores contrariæ sententiæ vim hujus rationis effugere, nisi vel dicendo habitum infusum, vel aliam qualitatem supernaturalem loco ejus inditam, esse totum principium proximum, quo potentia facit actum, ipsa tantum quasi materialiter se habente substentando illud principium, vel saltem asserendo illud supernaturale principium actus, esse principium proximum, unde actus habet quod sit vitalis. Utrumque autem horum est falsum, quia primum est contra rationem actus vitalis, de cujus ratione formalis est ut effective procedat ab anima, nisi etiam effective procedat a potentia ejus, quatenus in ipsa anima radicatur et ab ipsa fluit. Nam effectio quæ provenit solum a forma extrinsecus adjuvante, nullo modo potest esse ab anima; sicut calefactio, quæ est ab aqua calida, nullo modo elici potest a forma aquæ, quia solum est a calore, tanquam a principio agendi quod extrinsecus advenit aquæ; et ex hac ratione impugnatur etiam altera pars, seu modus dicendi, quia cum habitus seu qualitas infusa non sit potentia intrinsece manans ab anima, non potest esse principium vitalitatis actus (ut sic dicam), ut lib. 6, longo discursu monstrandum est.

5. *Solvitur objectio.* — Relinquitur ergo, ex vitalitate actus supernaturalis non repugnare quin fiat a potentia sine habitu, vel alia qualitate inhærente, quæ illam per modum principii physici adjuvet, quia hanc efficientiam optime potest Deus supplere per seipsum, nec enim necesse est ut potentiæ inhæreat, satis

est enim quod illi intime adsit, et cum illa influat. Respondent aliqui hanc intimam præsentiam sufficere quidem ut Deus concurrat cum potentia per modum causæ universalis, non tamen ut concurrat per modum causæ particularis et principalis. Respondetur falsam esse posteriorem partem; tum quia nulla sufficiens ratio differentiæ reddi potest, tum etiam quia sic operatur solus in potentia illos effectus qui non sunt actus vitales; ergo etiam poterit ad vitales actus, ut causa proxima et principalis, influere simul cum potentia vitali, et non excludendo cooperationem ejus; hoc enim necessarium non est, quia potentia non minus potest suum influxum præbere cum principio principali sibi assistente, ut sic dicam, quam cum inhærente; nulla enim repugnantia assignari potest, sive potentia existimetur principium partiale, et principale etiam in suo genere, respectu actuum supernaturalium, sive reputetur principium elevatum per potentiam obedientialem, ac proinde instrumentale: nam quicquid horum censeatur, potest Deus cooperari potentiæ, vel elevare illam supplendo simul per seipsum omnem efficientiam quam habitus præstare potuisset.

6. *Ille modus agendi Dei ordinarie a Deo usurpatur.* — *Secundo, ex aliis Conciliis.* — Venio ad aliud membrum de potestate ordinaria, et de facto. Et imprimis expendo distinctionem indicatam a Concilio Trident., sess. 14, cap. 4, duobus modis fieri aliquod opus in nobis ab Spiritu Sancto, scilicet, vel inhabitante, vel tantum movente; proprie enim inhabitat Spiritus Sanctus in nobis per habitualem gratiam et sanctitatem, et ideo tunc dicitur operari proprie ut inhabitans in nobis, quando per habitus operamur. Opera ergo, quæ antecedunt habitus, sunt dona Dei, et Spiritus Sancti impulsus non inhabitantis, sed tantum moventis, sicut de attritione, quæ antecedit charitatem, docet Concilium in citato loco; ergo satis consentaneæ ad illum modum loquendi Concilii intelligimus ad hujusmodi actus ipsummet Spiritum Sanctum immediate nos movere, prius cor pulsando per excitationem gratiam, quam ibi Concilium impulsam vocat, et deinde nobiscum influendo in actum antecedentem ad habitum, quo homo sibi viam ad justitiam parat, ut idem dicit Concilium. Deinde ad hos actus requirunt Concilia excitantem et adjuvantem gratiam, et solam excitantem dicunt esse prævenientem per Spiritum Sancti inspirationem et illuminationem: adjutorium autem tribuunt gratiæ cooperanti,

et Deo seu Spiritui Sancto adjuvanti, ut constat ex eodem Concilio Trident., sess. 6, cap. 5, et can. 3 et 4, et Concilio Arausicano, can. 4 et 6, et sequentibus. Utrumque autem proprie et sufficienter salvatur, dicendo ipsum Spiritum Sanctum effective per seipsum, et excitare potentiam, et adjuvare illam, præsertim quando nondum illam inhabitat; sic enim Deus in nobis atque nobiscum operatur, ut loquitur idem Concilium Arausicanum, cap. 9. Denique Scriptura sæpissime vocat Deum adjutorium nostrum, et specialiter cooperantem, quod certe non dicit propter solum generalem concursum, sed præcipue propter singulare auxilium gratiæ; et ita etiam loquitur Augustinus, et Scripturas interpretatur. Hæ autem locutiones indifferentes sunt, et propriissime intelligi possunt de Deo immediate nostras potentias adjuvante; ergo ubi non concurrat per habitum, non oportet fingere aliquam qualitatem, vel incognitam motionem, sed ipsimet Spiritui Sancto hanc efficientiam immediate tribuere. Et confirmatur optime ex doctrina D. Thomæ, quæst. 22 de Verit., art. 8, ubi, cum docuisset posse Deum mutare voluntatem ab uno actu in alium, addit: *Immutat autem (scilicet Deus) voluntatem dupliciter, uno modo, movendo tantum, quando scilicet et voluntatem movet ad aliquid volendum, sine hoc quod aliquem formam imprimat voluntati, sicut, quando sine appositione alicujus habitus, quandoque facit ut homo velit hoc quod prius non volebat; alio vero modo, imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem, ubi non solum loquitur D. Thomas de potentia absoluta, sed etiam de ordinaria et usitata a Deo; et performam sine dubio intelligit quancumque qualitatem præviam, quæ sit principium agendi ipsi voluntati. Docet igitur quoties Deus movet voluntatem ad volendum immediate et per seipsum, efficere actum volendi sine media forma creata, quamvis non excludat cooperationem ejusdem voluntatis, ut per se notum est.*

7. *Tertio, ex modo operandi divinæ providentiæ.* — Ultimo, possumus hoc congruenti ratione declarare, quia hic modus operandi non est præter ordinem providentiæ Dei, sed potius est illi maxime consentaneus: nam ad Deum spectat supplere impotentiam causarum secundarum in unoquoque genere, quando illis deest intrinseca virtus ad connaturaliter operandum, et nondum sunt illius capaces, sed potius ad illam obtinendam tendunt, alio modo minus perfecto operando. Ita

enim in præsentia contingit; nam quando homo operatur hos actus ante habitum, procedit ab imperfecto ad perfectum, nimirum ab statu injustitiæ vel carentiæ justitiæ ad statum justitiæ paulatim transeundo, et ideo pro eo tempore non potest connaturali modo et per virtutem intrinsece inhærentem operari: pertinet ergo ad Deum, ut primum auctorem gratiæ, tunc per seipsum supplere defectum hominis, et illum ad se convertere, per seipsum peculiariter movendo et adjuvando, quo modo solet loqui divus Thomas prima secundæ, quæstione centesima nona, articulo sexto et septimo, etiam de conversione ad Deum per ultimam et perfectam dispositionem ad gratiam. Tandem confirmabitur amplius hæc sententia respondendo ad argumenta in capite præcedenti relicta.

8. *Solvuntur argumenta.* — *Primo, ex improportionem voluntatis ad actus supernaturales.* — Primum erat voluntatem natura sua non habere potestatem ad actus supernaturales eliciendos sufficienter, quod simpliciter et absolute concedimus de potestate integra, et in genere principii proximi sufficiente, seu principali, quod supra lib. 2 late docuimus. Inde tamen non sequitur esse necessarium principium adjuvans ipsi potentiæ inhærens; nam sufficit principium efficiens, potens ad splendendum defectum habitus, vel alterius principii, ut declaratum est. Si vero sit sensus illius antecedentis potentiam naturalem animæ, nullam omnino virtutem etiam inchoatam de se habere ad eliciendum hujusmodi actus, si ab alio sufficienter juvetur, falsum est, et contra communem sententiam, quam cum Driedone et Ruaro tradit Bellarminus, lib. 6 de Grat. et liber. arbitr., cap. 15, et plures alii, tam antiqui quam moderni, quos infra tractando de gratia habituali, libr. 6, referemus. Idemque parum insinuat Augustinus de Spirit. et litter., cap. 33, ubi tractans quæstionem, an voluntas credendi sit a libero arbitrio, vel a Deo, respondet, *quod liberum arbitrium naturaliter attributum a creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinare ad fidelitatem possit; sentiens voluntatem credendi esse ab hac vi liberi arbitrii naturalis, non tamen sola, sed a Deo supernaturaliter adjuta. Et ideo (inquit), nec istam voluntatem qua credit homo Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit, quandoquidem, vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit. Ergo, teste Augustino, vo-*